

Bibliothèque numérique

medic @

**Amy, Antoine Toussaint - candidat /
Silvy, Jean-Antoine - président. - [De
cancro mammario]**

1751.

***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°8***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0008


I 75 I

POSITIONES ANATOMICE

CHIRURGICÆ



31



Il ...


Il ...


Il ...

IN ...

Il ...

PRO ...





D. O. M.
 POSITIONES ANATOMICÆ
 ET
 CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



QUAM dira sit cancri fœvities, ab omnibus notum est. Et si vitium illud, quamlibet corporis partem, offendere possit; frequentius tamen mammas feminarum infestat. Quâ propter, ad Chirurgicas positiones remissâ cancri mammarii curatione, pectoris externas partes hîc perlustrare juvat.

PARTIUM externarum pectoris, seu trunci partis collum inter & abdomen sitæ, diversa natura; aliæ ossæ, cartilagineæ; nonnullæ musculosæ; quædam vasculosæ, nerveæ, glandulosæ; aliæ membranacæ sunt, & adiposæ.

OSSIUM Thoracis ordo sic se habet: regionem anteriorem sternum & claviculæ, posteriorem vertebræ duodecim & scapulæ,

latera occupant costæ in veras & spurias distinctæ. Costæ propriæ cartilagine adactæ, miram arcuato fornici ferè similem, sursum angustiolem, deorsum verò ampliolem, machinam efficiunt.

Duo pectorales muscoli, & serratus major, partim mammis subjacentes, oris costarum, intercostalibus ve musculis & aliis, diversimodè adhærent.

PECTORALIS majoris & latissimi dorsi humero insertiones cavitatem axillarem efformant; ubi à glandulis, pinguedine, & vasis hùc & illùc serpentibus, plurima Chirurgo notanda veniunt.

MAMMAS, in anticâ thoracis regione fitas esse, neminem fugit; harum usum & molem tum à sexu, tum ab ætate, tum deniquè à vario feminarum statu, repetere necessarium est.

PRO diverso, in prægnantibus, puerperis & lactantibus, ac in maribus & infantibus, mammarum usu, ipsarum glandulæ ad conglobatas modò, modò ad conglomeratas revocandæ.

Ob arteriæ mammariæ cum epigastricâ anastomosis, mirum vteri cum mammis fieri consensum, quidam existimarunt: exindè mulieres quinquaginta circiter annos natas, suppressis videlicet mensibus, cancro mammario magis obnoxias esse, nec immeritò putarunt.

DESCRIPTAS thoracis partes, communia velant tegumenta; ex quibus ad mammæ centrum efflorescit papilla, quam cingit areola.

EX CHIRURGIA.

CANCER, græcè *καρκινωμα*, tum ut tumor, tum ut ulcus spectari solet. Propriâ descriptione donatur qualibet cancri species.

CANCER tumor, est durus, inæqualis; quandoquè rotundus, calore & dolore lancinante molestus; circa plures, inflatæ serpunt & prominent venæ; in quibusdam verò delitescunt. Alba vel rubra, livida vel nigra cutis, pro variis depravationibus, remanet. Nonnunquam dolore, calore, pruritu & inflammatione ingravescens, ipsamet cutis, gangrænâ correpta, disrumpitur.

LACERATA cute, hiat ulcus foetidum, in ambitu subnigris turgescens venis: tenuis ac interdum sacibus vini similis, manat sanies, quæ acrimoniâ suâ non cutem tantum, sed & subjectas partes, multo cum dolore, corrodit & quasi depascitur, Ex ulcere

subpallidæ carnes acervatim luxuriant. Inversis, retortisque marginibus, horridum aspectu se præbet cancer exulceratus.

CARCINOMATIS indoles cognitu difficilis : de illâ valdè inter se dissentiunt authores. Nonnulli, à vermiculis carnes depascentibus ; multi, malo lienis & jecoris habitu ; alii verò, peculiari quodam vitio, carcinoma procreatum judicavère.

CANCRI causa duplex ; proxima, & remota. Retentò in mammis humore, unius glandulæ, aut plurium glandularum vasa minima mox ingurgitantur. Concrecente humore, obturantur quoque vasa majora : hinc circuitus liquorum in vicinis partibus impeditur : en causa proxima.

QUÆ, aut limpham spissare, aut vasorum tunicas deprimere & vellicare possunt, ictus, punctiones, lapsus, compressiones, suppressi menses, quandoquè hæmorrhoides, indebita victus ratio, peculiare vitium, scilicet venereum, scrophulosum, scorbuticum, &c deniquè acria quævis sanguinis massam labefactantia, remotas inter causas annumerantur.

EX allatis descriptionibus, genuina patent cancerorum signa.

A carcinomatis causâ, situ, vetustate, gradu, & totius ægræ corporis habitu, prognosis habenda.

CUR multos per annos in eodem incrementi statu permaneat tumor ; cur verò paucos intra menses, paucos-ve quandoquè dies ultramodùm adaugeatur ; quænam exindè deduci debeant animadvertiones ; in motu fluidorum inquiratur argumentum.

TUTIÙS citiùs ve scalpello sanari cancos, ratio comprobant & experimenta. Si quis mali principiis obstare tentaverit, à medicamentis calefacientibus, & adurentibus, sese abstineat.

QUOD ad operationem spectat : acus veterum, forcipes, furcas, & alia hujusce generis rejicienda censemus.

CUM de cancro exiguo & undiquè vacillante agitur, ægrâ ritè præparatâ & collocatâ, nunc perpendiculariter, nunc cruciatim, sola cutis rescindatur : deindè digitorum ope, apprehenso & sublevato tumore, textu cellulari hic & illic resecto, tumoris fiat extractio ; & sic de cæteris tumoribus, si qui sint aut infra musculos, aut ad axillas usque, ne remaneat cancri redivivi germen.

CARCINOMATIS majoris, etiam exulcerati, corripitur manu mole : tunc cutis ita circulariter secetur, ut tota deinceps auferatur cancri massa.

POST cancri amputationem, hæmorrhagiæ rarò metus : si ta-

4
men nimium accidat sanguinis effluuium, mox arte listatur. Quis-
dam astringentibus; quidam ligaturâ coercuere; sed ut plurimum
sola valet compressio.

ULCERE ablato vel tumore, plaga ut decet deligetur; dein
venæ sectiones, & alia artis auxilia, quantum opus erit, adhi-
beantur.

SI difficilè ad cicatricem ducatur plaga; vel, jam obductâ
cicatrice, de novo hiascat ulcus fœdum; aut nobiliori parti aliquod
immineat periculum: tunc laudatur foniculus.

QUÆ tandem immedicabili cancro laborant, ad curationem
palliatiuam confugiant; idèd jugi diætâ, potissimum lacteâ, & to-
picis lenientibus: salutis suæ consulant.

de Chevroux
Has positiones, DEO IUVANTE, & præside M. JOANNE-
ANTONIO SILVY, Artium & Chirurgiæ Magistro,
tueri conabitur ANTONIUS TUSSANUS AMY Claro-
montensis, in almâ universitate Parisiensi Artium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabati 16^a. Januarii à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. Anno Domini 1751.

P R O A C T U P U B L I C O :

Typis DELAGUTTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1751.